

riculum sibi imminere existimaret, ideoq; & triduo ante obitum, concionem ipse ad populum, quamvis ægrè, vi-ribus iam tum languentibus, haberet: & paucis ante mor-tem horis de restitutione non malè speraret: piastamen istas voces præsagium quoddam instantis vitæ termini & beatæ emigrationis fuisse, quis dubitet? de qua tanto ipsi gratulamur magis, quanto ipsum ad eam fuisse para-tiorem testari potest plena consolationis & doctrinæ concio, qua die VI. Septembris ex his psalmi 116. verbis, tanquam cygnæa voce mundo huic valedixit.

*Convertere anima mea in requiem tuam,  
quia dominus benefecit tibi:*

*Quia eripuit animam meam de morte, o-  
culos meos à lachrymis, pedes meos à lapsu.*

*Ambulabo coram domino in regione vi-  
vorum.*

Ad hanc ergò sic jubente illo qui meta est vitæ no-stræ, sanctorum angelorum satellitio stipata anima san-cti nunc viri LOBECHI nostri discessit: illuc pro vitæ hujus malis, bono fruitur sempiterno: transiit quippe de labore ad otium: de expectatione ad pretium: de pe-regrinatione ad quietem: de morte ad vitam: de fide ad notitiam: de mundi hujus exilio ad cœlestem pa-triam.

O te felicem LOBECHI tanto bono! ô te beatum, quem mortuum vivi tantopere desiderant! Nunquam tuorum meritorum obliviscetur Ecclesia: Academia inter præceptores & lumina sua te numerabit perpetuò: Respublica tecum subito ereptum, apud posteros qui-ritabitur: Cives cineres tuos deosculabuntur; studiosi